

Quum vero præsertim singularem industriam in diversis morbo affectis plantæ partibus fixerim, & id ideo, quia Cel. TILLET & AY-MEN, qui hoc de morbo meruerunt, vix illas tetigerunt, non possum non ad faciliorem intellectum ipsius status morborum, quin descriptionem plantæ & quidem paulo exactiorem quam hucusque data est, præmittam.

§. II.

*Descri-
ptio bo-
tanica.*

ZEA MAYS LINNÆI in Systemate ejusdem sexuali ad Monœcias Triandras 1) pertinet. Determinant vero genus ZEE hæc:

MASCULI in spicas laxas dispositi.

Cal. GLUMA biflora, bivalvis: valvulis ovato-oblongis, muticis.

Cor. GLUMA bivalvis: valvulis oblongis, muticis; longitudine calicis. NECTARIA duo, compressa, brevissima.

Stam. FILAMENTA tria, capillaria. ANTHERÆ quadrangulæ, quadri-oculares, apice dehiscentes.

FEMINEI in spica densissima 1) infra masculos, in eadem planta, foliis obtecta.

Cal. GLUMA propria bivalvis: SQUAMIS subrotundis crassis, brevissimis, exteriori crassiore n).

*Polyga-
mi cul-
mi.*

1) Polygami culmi a L. B. VON GLEICHEN (in libro cui titulum fecit: *Das neueste aus dem Reiche der Pflanzen* &c. Nürnberg 1764.) descripti admodum frequenter mihi occurrerunt: utramque spicam tam masculam quam femineam *hermaphroditas*, sive ex utraque mixtas, esse sæpe observavi, illam staminiferam femina ferentem L. B. VON GLEICHEN *l. cit.* nominat; hanc ab autore non observatam feminiferam stammina gerentem nuncupabo; novo argumento Polygamam classem LINNÆI rejiciendam esse. Status is quidem evidenter præternaturalis est; ejusmodi enim spicis vix atque vix quidem adeo perfecta & torosa semina sunt, qualia spicis femineis perfectis esse solent.

1) Spicam femineam instar masculinæ *laxam*, raro utique observavi, imperfectam admodum neque profecto a morbo immunem.

n) Gluma uniflora est, coriacea, longe durior & crassior illa corolla, excepta ejusdem summa parte valvulis corollæ simillima.

Cor. bivalvis o): VALVULIS membranaceis, latis, brevissimis, persistentibus.

Pist. GERMEN minimum. STYLUS filiformis, omnium longissimus. STIGMA simplex versus apicem pubescens.

Per. nullum. RECEPTACULUM COMMUNE p) maximum, longum excavatum q), in quo ad dimidiam partem demersi sunt fructus r), calyce & corolla propria cincti.

Inferior squama superiore crassior, immediate e margine inferiore receptaculi floris proprii, *scutellam* nominabo, continuatur, seu potius ipse margo in squamam productus est, hinc persistens, neque evelli potest.

Superior squama semen ad duas tertias partes amplectens, & scutellæ & pedicello innata est, quod evidenter & videre & experiri quilibet potest; licet enim frequenter mihi acciderit, ut quum semen simul cum pedicello avellerem, is hanc squamam simul secum traxerit, hinc eam pedicello accrevisse pateat: tamen haud minus frequenter contrarium expertus sum, scilicet pedicello evulso valvulam istam scutellæ affixam remansisse.

o) Quin potius *quadrivalvis* irregularis? valvulis subrotundis splendidibus, albis, diaphanis, semen basi amplexantibus. *Tres* valvulæ femine inferiores, majores; quarum prima minima a tergo secundæ posita; hæc, plus minus plicata, tertia atque simul maxima femini proxima incumbens. *Unica* valvula femine superior, minor & plicata.

Producuntur valvule omnes, distantes paululum, ex ipso pedicello.

p) Adfunt & receptacula *binis* floribus propria, communi receptaculo quasi insculpta; loculamenta scilicet seu *scutellæ* oblongæ peculiari epidermide glabra pubescente quidem intus vestita, atque transversim sitæ; quarum margo inferior producitur in utramque squamam inferiorem calicis utriusque floris; superior autem, vix ullus, terminatur ad marginem inferiorem scutellæ proximæ superioris: uterque margo lateralis uti dexter ita etiam sinister liber est. In qualibet scutella hospitantur bina femina juxta se invicem locata.

q) Primo quidem intuitu tale utique apparet; quod vero curatius examinatum nullatenus excavatum esse cuilibet patebit; ipsæ enim squamæ calicum præcipue inferiores rigidæ admodum ac crassæ, illi hanc speciem conciliant.

r) Semina utique ad dimidiam partem calici & corollæ observantur immerfa, imo profundius quoque posteriori, minime vero receptaculo ipsi; e contra quodlibet semen pedicello, (Fig. II. n.) quinque circiter lineas alto, neque ultra tres extra scutellæ fundum eminente, insidet; quorum semper bini e communi receptaculo, proprium perforantes, emergunt. Oriuntur

Sem. solitaria s) (post singulos flores), subrotunda, basi angulata, compressa t).

*Ortus
pedicel-
lorum.*

hi pedicelli ad circumferentiam ipsius medullæ; inde vero radiatim ad horizontalem tramitem progredientes, perforant duram lignosamque receptaculi communis substantiam. Semen quandoque cum integro pedicello simul evelli potest, ut tunc vere stipitatum cernatur. Pedicellus ipse ex stratis fibrosis, lamellas formantibus, compositus est, quarum exteriores in valvas corollæ producuntur; interior fibrarum fasciculus ipsum semen elevat.

*Receptaculi
communis
compositio.*

Receptaculum commune vulgo quatuor columnis feminigeris, quæ conjunctim integrum circulum absolvunt, formatur, quarum *longitudo* eadem ipsius spicæ est; *latitudo* vero cujuslibet est illa receptaculi proprii seu scutellæ. Istæ sæpe columnæ evidenter distinctæ atque distantes cernuntur. Earum quævis in tota sua longitudine transversim in tot scutellas, quot femina unum ordinem absolvunt, quasi exsculpta est.

Quælibet scutella, quæ biflora est, duo semina juxta se invicem posita recipit, hinc octo vulgo ordines feminum in rectis lineis digesti in qualibet spicæ observantur; raro spicæ decem, imo duodecim ordinibus feminum occurrunt, quales nonnullas videre contigit; ejusmodi vero spicarum receptacula communia quinque & sex columnis formantur.

s) Bina tamen in quolibet receptaculo proprio seu scutella.

*Styli
insertio.*

t) *Depressa* sunt semina utrinque, superne & inferne plana; *superior* feminis facies corpore graniformi parvo, quod in longe plurimis mediam ejus regionem obtinet, notata, quod ipsum *corculum* est. *Styli insertio* locus in femine maturo admodum obscurus est; verum inter innumera illa semina quæ hac de causa diligenter perquisivi nonnulla reperi, quibus stylus adhuc fuit; inseritur is scilicet proxime ad verticem illius zonæ albæ, quæ corculum cingit, ubi quandoque ejusdem reliquiæ conspiciuntur.

Semen insuper *duplici*, quo farina includitur, *cortice* instructum est; *exterior* crassior & splendens evidenter productio alicujus strati fibrosi pedicelli est, isque vere in ipsum stylum abit, quod ex morbois seminibus deinceps luculentissime patebit.

Semina insuper varii coloris flava, rubra, purpurea &c. sunt, adeo ut TABERNEMONTANUS sedecim & ultra diversas species numeret, quæ autem ne vix quidem totidem varietates constituunt; quippe admodum frequenter spicæ reperiuntur, quarum una eademque semina flava & viridescens &c. istaque ipsa diversi coloris puncta habent. Ea varietas quæ flava semina profert omnium maxime æstimatur omniumque vulgatissima est.

*Sub-
stantia
farinacea
triplex.*

Substantia farinacea in exsiccatis triplex distincta apparet. *Prima exterior* durissima, cornea, flava (in feminibus flavis) diaphana; *secunda interior*, priori inclusa, albissima, friabilis, stricte farina dicenda; *tertia corculum includens*, priva utique & distinctissima secundæ profunde basi im-